KA XLII^{a}
nr. 24

N°. 24

Nobilissime, doctissimeque Hugeni,
qui per hyemem obriguisti, cum vere resolveris
aperis te cum Aprili, et Musarum foetus
protrudis, dum Natura suos. Prudenter
Polyarchiam defendis in Belgio nostro. In
Galliis, Britanniis, Hispaniis si esses, probares
orator Monarchiam. quanquam Britannia
hoc rerum statu vergat in Polyarchiam.
Quae in Nuptias Embdani Comitis scripsisti,
perplacuere. Antea intra angustias Epigram=
matum stetisti, jam Poemata scribis et per
prosopopoeias et laxiora commenta diffundis
spiritum. Vellem te Claudianum saepius
legere, et quae ille concepit ingeniosissime,
efferre aliis verbis. Hoc age, ut periodos
poeticas libres hemistichiis. quod Claudiano
familiare. Mirum, quam poetam juvet,
in medio carmine respirare. Induet sublimes
spiritus, et nihil vulgare voles loqui, ubi cum
illo loqui assueveris. Cum Claudiani lectionem
suadeo, Virgilium praefero, ut in oratione omni
decori rationem habeas, cujus rigidissimus fuit
observator Maro. Ego ante paucos dies
scripsi Poema hoc, quod mitto. Videbis me
pugnare ad Istrum cum Lunatis Turcis,
longe à Rheno et Mosa ac Vahali. Ubi
Augustissima Britanniarum Regina dum vehitur,
non ero elinguis. Oportet aliquid novare eos,
quibus est viride genium. Quod cum Tibi sit
viridissimum et in herba, nolim te otiari, & de
Otii esse familia. Vale dilectissime Hugeni, et
saepius mihi meditationes tuas transmitte. Expecto, ut
idem faciat ~~[illegible]~~ fratrum tuorum Christianissimus. Parentem
fratresque saluta.

Amstelod. XXIIII April. 1642

Tui studiosissimus
Caspar Barlaeus.

Mitto exemplaria aliquot, quorum unum [illegible] tibi fratribusque, unum Domino Parenti,
alia per famulum vestrum velim mitti D. Mylio, Cattio, Brassetto, Graswinckelio, D. [illegible],
Boyo, Advocato Stryen, Doublettio, Wittio.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0463

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0463

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huijgens, Ridder van Zuilichem,
om ter behandigen aen sijn,
het soon Constantinus
Huijgens.

port.

Haghe.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0463

Illũstri Domino
Constantino Hũygens
Eqũiti, Illũstrissimiq;
principis Aũriaci a
Consilijs et secretis
etc.

KONINKLIJKE AKADEMIE VAN WETENSCHAPPEN

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0463

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0463